

*tis paratis eos damnari, qui necessitatem, divinumque mandatum sumendi utramque speciem affirmarent, non item, eos, qui ex veteri privilegio aut ritu id usurparent, nihil tamen in fide ab Ecclesia dissentientes: non esse mentem Concilii quidquam de iis innovare, imitantis Innocentium III. in capite postremo, tit. de Baptismo Eadem de coronatione Ludovici XIII. habet Gabriel Bartholamæus Gramondus in Sacro Regis Consistorio Senator, Parliamentique Tolosani Præses, Hist. Gall. Libr. I. p. 18. Ab inauguratione itur ad sacrum, quo immolatur Christus. Ministrabant Cardinali, Episcopi Bononiensis, & Rivenfis. Sacro absoluto Rex è theatro in ima delapsus, duodecim ministerio Parium corona exiit, ita Reges accedere soliti ad Regem Regum. Fuit humilime, pientissime, probatusque nova inauguratione sacerdos, sub utraque specie Christi corpus & sanguinem delibavit, quod primitus christianis omnibus, hodie sacerdotibus, & quia uncti Reges, & Regibus permissum est Privilegio singulari. Christophoro quoque Adolphus Thuldenus Hist. per Europam lib. III. de hodierni Regis consecratione: Sub finem sacri ad cœleste epulum Rex progreditur. Præsto sunt è vestigio Pares & coronam capiti ejus exemptam reverenter attolunt. Coronam sublatam in genua demissus REX cœlesti mensa pius advolvitur, sumit Christum sub utraque specie, quod non solet nisi à Sacerdotibus fieri, sed in Regum Gallia Consecratione, iis etiam non sine privilegio conceditur. Gratulanda hæc felicitas Regi Gallia, qui se vel eo nomine Christianissimum probat, quod eam sentiendi libertatem sibi sumat, neque auspicato regnum suscipi posse credat, nisi Christi sacra facta tecta serventur, riteque peragantur. Colligere quoque hinc licet avitam laudem etiamnum hodie mordicus tenere Galliam, ob quam jam olim Claudianus animosam eam indigitare non dubitavit, quod uti libertates suas omnes animosæ tueretur, ita imprimis Romani Pontificis vesanae auctoritati mascule se opponit, neque patitur ut vel*